



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **MOSCOVIENSIS**

LATINORUM*ADMINISTRATIO APOSTOLICA MOSCOVIENSIS LATINORUM

CONSTITUITUR Providi quae Decessores Nostri feliciter suo tempore consilia de Catholica Ecclesia latissimis in Russiae finibus ceperint, permagno Dei ipsius beneficio licet iam Nobis multo etiam felicius explere perficereque cum, interiectis non nullis annis, sic rerum sit commutata condicio illic ut maiori iam ecclesialis communitatis flori ac progressui favori videatur quin immo plenae inibi Ecclesiae renovationi. Etenim litteris suis motu proprio editis « Plenitudine potestatis » tum dein Decreto « Quo aptius » Romanus Pontifex Pius XI venerandae memoriae die decimo mensis Martii anno MCMXXVI quinque destinaverat Administratores Apostolicos in interminata paene archidioecesis Mohiloviensis regione, a Bielorussia scilicet ad Siberiam usque patente, plagis in illis quibus est hodie nomen : Mohilovia, Leninopolis, Moscu, Kharkovia et Kazania-Samara-Sinibirski. Compositis itaque tandem Civitatis religionisque causis, suasit huic Apostolicae Sedi vehementius quidem Venerabilis Frater Franciscus Colasuonno, Archiepiscopi titulo Truentinus atque simul in Foederatis Civitatibus Sovieticis Sedis Apostolicae Legatus, ut iis omnino in finibus Administratio Apostolica Moscoviae legitime excitaretur, unde initium convenienter fieret canonicae efficiendae ordinationis singularum communitatum catholicarum ritus Latini in Europaea Reipublicae Foederativae Russae provincia. Sententiis ideo diligenter exceptis atque opinionibus auditis tum Venerabilis Fratris Angeli Sodano, Archiepiscopi titulo Novacaesariensis Prosecretarii Status, tum Venerabilis Fratris Ioannis Ludovici Tauran, Archiepiscopi titulo Theleptensis Pontificiae Commissionis pro Russia Praesidis, propositis illis ipsis perlubentes Nos adstipulamur precibusque admotis obsequendum esse arbitramur, quo certius in posterum tempus curationi pastoralis catholicorum gregum ritus Latini superius memoratorum consulatur. De auctoritatis propterea Nostrae apostolicae plenitudine harumque Litterarum virtute censemur legitime omnia loca quae communiter dicta « Russia Europaea » complectitur ab archidioecesi Mohiloviensi seiungi atque in Apostolicam Administrationem converti cui deinceps titulus sit *Moscoviensis Latinorum* cuiusque fines iidem pariter habeantur quibus in praesentia definitur « Russia Europaea ». Sedem autem illius Administrationis Apostolicae in urbe esse volumus *Mosca* vulgari sermone. Ordinario insuper Praelato novae huius Administrationis singula addimus iura et officia, facultates et obligationes quibus reliqui per orbem Episcopi residentiales pro re nata augentur tenenturve. Ad iussa vero haec Nostra quam absolutissime exsequenda constituimus memoratum Venerabilem Fratrem Franciscum Colasuonno, tributis necessariis cunctis et opportunis agendi potestatibus etiam subdelegandi, ad effectum de quo hic agitur, quemvis virum dignitate in ecclesiastica constitutum, officio tamen iniuncto ad Pontificiam Commissionem pro Russia germanum referendi exemplum actus ipsius completae executionis. Quandoquidem tantopere laetamur fieri licuisse quae hisce Litteris denique tandem instituerimus, omni proinde animi Nostri cum firmitate atque pulcherrima cum rerum venturarum expectatione has iubemus Apostolicas Litteras tam is praesens quam in

subsequens ratas esse tempus, contrariis quibuslibet rationibus haudquaquam obsistentibus. Datum Romae, aud S. Petrum, die tertio decimo mensis Aprilis, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo primo, Pontificatus Nostri tertio decimo.

ANGELUS SODANO, archiep. <i>Prosecretarius Status</i>	IOANNES LUDOVICUS TAURAN <i>Pont. Comm. Oro Russia Praeses</i>
--	---

Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost.*

Franciscus Chiaurri, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LXXXIII (1991), n. 7, pp. 545-547 © Copyright 1990 - Libreria Editrice Vaticana

© Copyright - Libreria Editrice Vaticana